regum posteriorem calamitates clariorem illustrioremq: fecere. Nam cum quinq: post illum regnauerint: postremus ex imperio excidens in exilio consenuit. Ex reliquis uero quatuor nemo naturali more defunctus est. Sed tres insidiis circumuenti necati sunt. Hostilius uero tullus qui Nume successit in regnum et plura ex illius honestis facinoribus in primis ac potissimum pietatem in deos irrisionibus et contumeliis insectatus uti remissam et muliebrem ciues ad bellum uertit. Neq: ipse igitur audacibus hisce ac statutis facinoribus institit. Sed graui et uario morbo mutare mentes in deorum metum atq: religionem conuersus est. que nulla tantum similitudine ad Nume pietatem accederet. quin etiam eo magis alios huiusmodi morbo infecit. quo fulmine ictus conflagrauit ut fertur.

COMPARATIO. LYCVRGI. & NVME.

SED Postea quam Nume et Lycurgi uitam exposuimus ipsee in medio positis. etsi difficile opus non tamen piguerit ipsorum differentias colligere. Nam que ijs communia pariaq: sunt ex ipsis rebus apparent. ueluti uirorum continentia pietas ciuilitas disciplina ut uterq: initium unum legum condendarum aliis consumpserit. Quibus autem priuatim bonis uterq: prestiterit. Primum Numa quidem accepit imperium. Lycurgus uero tradidit. et alter cepit id haud petens. alter cum possideret restituit. Ac Numam quidem ex priuato et peregrino dominum alii sibi constituerent. At Lycurgus ex rege sese priuatum fecit. Pulchrum est certe regnum sibi iustitia comparasse. Pulchrum est etiam iustitiam regno pretulisse. Virtus enim illustrem adeo illum reddidit ut dignus imperio habitus sit. hunc uero ita magnum effecit, ut imperium contempserit. Quod autem secundum est. quoniam queadmodum hermonia liras solent Lycurgus dissolutam & delitiis deditam spartam intendit. Numa uero rome uehementiam intentionemq: remisit. Difficultas quidem operis lycurgo additur. Non enim toraces exuere ensesq: deponere ciuibus suadebat sed aurum argentumq: dimittere. et strata pretiosa et mensas eijcere neq: a bellis celebritatum sacrificiorumq: causa desistere: sed ceniis compotationibus omissis in armis & palestris laborare & exerceri. Qua propter gratia & ueneratione quadam alter omnia suadendo perfecit. alter autem inter pericula atq: ictus uix obtinuit. Atqui mansueta benignaq: musa Nume qui ad pacem et iustitiam ciues ex intemperantibus et feruidis traduxit ac leniuit. Si uero quod de mancipiis dicitur inter

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_919/0380

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG